

XIII

IN ARBOREM CVIVS CASV IN AGRO SABINO OPPRESSVS EST

Strophe Alcaica

Ille et nefāstō tē posuit diē,
Quīcumque p̄rimum, et sacrilegā manū
Prōdūxit, arbōs, in nepōtum
Perniciem opprobriumque p̄gī.

Illum et parentis crēdiderim suī
Frēgisse cervīcem, et penetrālia
Sparsisse nocturnō cruōre
Hospitis. Ille venēna Colcha,

Et quidquid usquam concipitur nefās,
Tractāvit, agrō quī statuit meō
Tē, trīste lignum, tē, cadūcum
In dominī caput immerentis.

Quid quisque v̄itet, numquam hominī satis
Cautum est, in hōrās : nāvita Bosporum
Poenus perhorrēscit, neque ultrā
Caeca timet^t aliunde fāta ;

Mīles sagittās et celerem fugam
Parthī ; catēnās Parthus et Ītalum
Rōbur ; sed imprōvīsa lētī
Vīs rapuit rapietque gentēs.

Quam paene furvae rēgna Proserpinae,
Et iūdicantem v̄dimus Aeacum,
Sēdēsque discrētās piōrum, et
Aeoliīs fidibus querentem

Sapphō puellis dē populārībus,
Et tē sonantem plēnius aureō,
Alcaee, plēctrō dūra nāvis,
Dūra fugae mala, dūra bellī !

Vtrumque sacrō dīgna silentiō
Mīrantur Vmbrae dīcere : sed magis
Pūgnās et exāctōs tyrannōs
Dēnsū umerīs bibit aure vulgus.

Quid mīrum, ubi illīs carminibus stupēns
Dēmīttit ātrās bēlua centiceps
Aurēs, et intortī capillīs
Eumenidum recreantur anguēs ?

Quīn et Promētheus et Pelopis parēns
Dulcī labōrum dēcipitur sonō :
Nec cūrat Ōrīōn leōnēs,
Aut timidōs agitāre lyncas.